



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Diplomatvm Belgicorvm Libri Dvo

Le Mire, Aubert

Brvxellis, 1627

69. Petrus Comes Autisiodorensis & Marchio Namurcensis, decimas
Namurcensi Canoniorum B. Mariae collegio, à praedecessore suo Philippo
Nobili attributas, confirmat, an. 1214.

urn:nbn:de:hbz:466:1-10903

NOTATIONES.

MARLANIA silua amplissima haut procul Namurco distat; in qua eremiticum habent cœnobium Carmelitæ discalceati, beneficio Alberti & Isabellæ, Principum Belgij.

CIMACVM) vel Chimacum, *Chimay*, Hannoniæ opidum, Principatus titulo clarum: de quo vide supra lib. I. cap. 100.

CAPVT LXIX.

Petrus Comes Antifiodorensis & Marchio Namurcensis, decimas Namurcensi Canonicorum B. Mariæ collegio, à prædecessore suo Philippo Nobili, attributas, confirmat,
an. 1214.

PETRVS Comes Antifiodorensis & Tormirensis & Marchio Namucensis, & IOLENDIS Comitissa, vxor eius, & Marchionissa, vniuersis tam præsentibus quàm futuris, in perpetuum.

Nouerit vniuersitatis vestrę discretio, quod cum vir illustris, bonæ memoriæ, PHILIPPVS Marchio Namucensis, prædecessor noster, graui detentus infirmitate, sanę tamen mentis vigens conscientia, viros venerabiles & religiosos, Conradum scilicet Vilarientem, & Balduinum Camberonensem, & Nicolaum Marchianensem & Renerum Valencensem, Abbates, testamenti sui procuratores penitus & executores constituisset, decimas suas omnes, quas tunc temporis ad manus suas habebat, eisdem Abbatibus inter cetera resignauit, conferendas liberè & absolutè ecclesijs, eorum dispositione, & saniore qua possent ordinatione, in elemosynam perpetuam, exprimens eis loca, quibus decimas illas specialius conferri desiderabat.

Iam dicti igitur Abbates assignauerunt ecclesiæ B. Mariæ in Namuco, in elemosynam perpetuam, omnes partes decimarum, quas prædictus Marchio Namucensis, seu illius antecessores habuerant apud Esmins, & apud Vmbercees, & ad Burges, & ad S. Medardum, & ad Nouillam & Altrepiam, & ad Warisoul, &

quartam partem totius grossæ decimæ de Genine, & de Anbea,
& de locorum illorum appenditijs.

Nos equidem satis dicto Marchioni in Marchia & Comitatu
Namucensi iure hereditario succedentes, omnia prædicta tam de
decimis supradictis præfatae ecclesiæ beatæ Mariæ collatis, quàm de
memoribus nobis retentis, plenius approbamus, sigillisque nostris,
1214. vt eadem rata permaneant, confirmamus. Actum anno Verbi in-
carnati millesimo ducentesimo quarto decimo, mense Maio.

NOTATIONES.

PETRVS Comes Antisiodorensis) seu potius Autisiodorensis, per
V. Gallicè d' Auxerre. Tormirensis, Tonnerre. Ceterum qua ratio-
ne PETRVS fuerit electus Imperator Constantinopolitanus, breui-
ter hîc narrare fuerit operæ pretium.

BALDVINO Flandriæ & Hannoniæ Comiti in dicto Imperio
HENRICVS frater successit, qui anno millesimo ducentesimo de-
cimo sexto, die 3. Iunij Theffaloniciæ obiit. In Henrici locum, Fran-
ci, Veneri & alij Latini, qui tum in Græcia versabantur, PETRVM,
Philippi Augusti Francorum Regis cognatum, elegerunt, missaque
legatione in Orientem euocarunt. Is nuntio accepto, cum vxore
sua IOLENTA, Romam se contulit ad Honorium Papam, qui ipsos
in ecclesia S. Laurentij extra muros an. 1218. coronauit.

Roma Constantinopolim cogitans Petrus, in via à Theodoro
Lascare, alijsque Græcis prope Dyrrachium captus, diu ab iisdem
in custodia detentus fuit: in qua & miserè obiit, adeoque Constan-
tinopolim numquam attigit. Quo fit, vt à scriptoribus Græcis, in
serie Latinorum Imperatorum omittatur, & nominatim à Nice-
phoro Gregora, qui lib. 4. sic ait: Qui verò tum Constantinopoli
regnaret, Balduinus erat, Balduini primi ex sorore nepos. Ei enim
frater Henricus successit, huic sororis Iolentæ primogenitus filius
Robertus, Roberto frater ætate proximus Balduinus. Hactenus Ni-
cephorus.

Petro itaque à Græcis capto, IOLENTA, vxor eius, Imperij Con-
stantinopolitani administrationem suscepit: cui anno proximè se-
quenti defunctæ ROBERTVS filius in Imperio successit.

CAPVT